

Kunoel:
Joh. Fried. Fischer.



CHRISTIANI THEOPHILI KVINOEL

PROF. LIPS.

NARRATIO

D E

IOHANNE FRIDERICO
FISCHERO.

A D

V I R V M

MAGNIFICVM ET SVMME REVERENDVM

FRANCISCVM VOLKMARVM

REINHARDVM

1009/90. 9. 1482.

THEOL. DOCT. SER. SAXON. ELECT. CON-
CIONATOREM AVLICVM PRIMARIVM SVM-
MI SENATVS SACRI ET ECCLESIA-
STICI CONSILIARIVM.

1799

Ca 757



H. A. F. f. 1805.

ANTONIUS PATERUS DE LIPSIIS

OPUS IN HOMINUM

CONFINIIS

CONFUSIONIBUS

V I R O
MAGNIFICO ET SVMME REVERENDO
FRANCISCO VOLKMARO
REINHARDO

S. P. D.

CHRISTIANVS THEOPHILVS KVINOEL.

Cum Tibi nuper, *Vir Magnifice ac Summe Reuerende*, per literas significassem *Iohannis Friderici Fischeri*, affinis et praceptoris mei, obitum; Tu mihi peramanter, vt soles, rescripsi-
sti, et deplorasti mecum iacturam maximam,
quam in hoc Viro, et literae et Academia no-
stra, et in primis Schola Thomana fecissent,
ornastique diuinis laudibus Illius virtutes et
immortalia merita; atque memet ipsum exci-
tasti, vt Tibi de vita, ingenio, institutis, mori-
busque Fischeri accuratius scriberem. Ego ve-
ro, literis Tuis, quibus ea scripseras quae luctum
leuare possent, perfectis, cum me non mediocri-
ter confirmatum intellexisset; voluntati Tuae,
vti semper, ita nunc maxime eo lubentius ob-
temperandum duxi, quo magis ipse quoque sen-
tiebam, proprius intuendis et accuratius recen-
sends animo Viri Summi bonis stimulos doloris he-
betari, acerbitatemque sensus mitigari quam opti-
me posse; quo certius mihi persuasum erat, Fi-
scherum, si ab inferis existeret, vehementer sibi

a 2

gratu-

gratulaturum esse, me Tibi, Grammatico pariter atque Theologo excellenti, Tibi, quem ob maximas clarissimasque virtutes, quoad viueret, maxi- mi faciebat, de vita sua scripsisse. Hanc autem virtutum, ornamentorum, meritorumque Fischeri adumbrationem typis exprimendam curaui propterea, quod existimabam, eam aliis quoque, quibus Virum non nisi de scriptis nosse contigisset, haud iniucundam fore; quod cupidissime quamcunque occasionem arripere soleo, qua Tibi, Patrone Optime, qui me inde a pluribus annis singulari prorsus caritate et beniuolentia complexus sis, animum meum gratum publice quoque demonstrare possum. Esto igitur haec scriptio, non modo pietatis meae in defunctum, sed etiam meae in Te, *Vir Magnifice ac Summe Reuerende, obseruantiae, monumentum firmum et constans.*

Natus est Coburgi, Franconiae haud ignobili oppido, anno huius seculi XXVI. die X. Octobris; patrem habuit *Erdmanum Rudolphum*, Ducis Saxoniae e Coburgensi Domo Ernestina consiliarium ecclesiasticum, sacerorum Antisitem sumnum, Pastorem ad aedem D. Mauritii primarium, et Scholaracham; matrem vero, *Iohannam Barbaram*, e gente Hofmania. Prima literarum rudimenta accepit a patre, viro sanctitatis, grauitatis, doctrinaeque laudibus florentissimo. Cum vero probe intelligeret pater prudenterissimus, sibi non esse satis otii, ad explendum hoc ingenium, cui esset tanta discendi auiditas

ditas et capacitas, tanta arripiendi celeritas; cum ipsi persuasissimum esset, consuetudinem cum aliis commilitonibus, et aemulationem honestam, quam plurimum facere ad excitandam, alendam, augendamue puerorum adolescentiumque ingenuorum diligentiam et industriam, adeoque eos in scholis publicis hoc nomine dignis, ad utilem literarum scientiam multo prius et facilius, multo certius et melius perduci, quam sola priuata et domestica institutione; filiolum mature scho-
iae urbicae magistris, *Fenzlino*, *Martinio*, *San-
dio*, in disciplinam tradidit. Et horum quidem
magistrorum fide et doctrina, patrisque disciplina
domestica conformatus, duobus annis tantum
profecit, ut deduci posset in Gymnasium Casimi-
rianum, quo pleniorum ingenii cultum accipe-
ret, solidiores ac robustiores doctrinas edisceret.
Meruit autem ibi sub praceptoribus praestantif-
simis, *Ioh. Conr. Schwarzio*, *Trefenreutero*,
Schubarto, *Bergero*, *Albrechto*, *Ehrenberge-
ro*, et *Linkio*, quibus ducibus Graecas inpri-
mis, Latinasque linguas, antiquitatem utramque,
mathematicas quoque disciplinas, ac philosophiam
acerrimo studio tractabat, et ita quidem, ut
quotidie maiores et ampliores his in literis pro-
gressus ficeret. Nunquam non sine magna qua-
dam cum voluptate illius temporis Fischerus re-
cordatus est, saepiusque mihi, cum sermones ha-
berem de vita sua cum eo, magistrorum illorum
probitatem, curam, assiduitatem, laudauit, in-
primisque laetus est, *Schwarzium* et *Trefen-*
a 3 *reute-*

reuterum, pueritiae suae et adolescentiae contigisse magistros, quorum praeceptis operaque adiutus, in Gymnasio Coburgensi tantam sibi comparasset linguarum Orientis, Hebraicae, Syriacae, Chaldaicae scientiam, ut in earundem elementis addiscendis, non opus habuerit postea, in Academia tempus consumere. Postquam igitur intra paucos annos haud vulgarem sibi doctrinae liberalis scientiam compararat, et in Gymnasio bis publice non sine laude declamarat, primum, de templo Pacis Romae, deinde de Silentariis, annis scholasticis exactis abitum in Academiam parabat, plaudentibus cunctis, qui diuinum ipsius ingenium, literarumque studium acerrimum accuratius cognouerant, ornatus praeceptorum testimonii honorificis, qui praeclara quaeque de eo augurabantur. Ac recte quidem, nam Fischerus, his laudibus, his auguriis, non abusus est ad arrogantiam sumendam, sed incitamenta ei erant maxima, ad industriae et diligentiae continuationem et constantiam, ita ut postea spem et exspectationem, quam commouerat, non sustineret, sed superaret.

Dimissus ergo, non sine magna virtutis doctrinæque laude, e Coburgensi disciplina, A. XLIV. cum nondum duodeviginti annos haberet, in Academiam Lipsiensem suauu Cypriani *) abiit, cuius

*) Fischeri pater, in epistola ad filium, quam præmisit descriptioni vitae Ver-

portenii a se editæ, proficitur Cyprianum sibi autorem et suauorem extitisse, ut filium

cuius auctoritas, vt Tu, *Vir Celeberrime et Eruditissime*, nosti, apud Fischeri patrem quam plurimum valebat. Praeerat Academiae tunc temporis *Christius*, et ipse Coburgo - Francus, qui Fischeri nomen in Album Academiae retulit. Quo facto, vt linguarum Graecarum Latinarumque, quas in primis a puerō adamarat, et omnis antiquitatis pleniorē cognitionē sibi compararet, assidue et per quam diligenter audiuit *Leichium*, *Ernestium*, *Kappium*, *Christium*, literas Graecas et Latinas docentes, historiam catholicam, imperiique Romani, rem numariam omnemque antiquitatem Graeciae Latiique explicantes. In philosophia et physica accuratius cognoscenda operam dedit *Winklero*, in Geometria *Kaeftnero*, theologiae vero partes ei tra-

a 4

dide-

filium in Academiam Lipsiensem mitteret, his verbis: *Summus hic mihique amicissimus vir* (Cyprianus) *in consilium a me adhibitum, pro admirabilitate sua prudentia, unctor mihi fuit, ut te, ad studia Academica idoneum, in Academiam Lipsiensem ablegarem, tibique prosperrimos in studiis progressus precatus.* *Spiritum S. optimum contubernalem etiam atque etiam commendauit.* — *Ante verro, quam itineri Lipsiensi,*

bono cum Deo, te accinges, ipsis Calendis Octobribus, A. XLIV. huins argumenti literae Cyprianicas mihi sunt allatae: filium pium et doctum gratulor tibi animitus. Natio Franconica Lipsiae paucis constat. Si humaniores literas imbibet, vietaque honestati, ac cultiori vivendi rationi studebit, haud granatim emerget in lucem. Non enim, vt olim, sic Lipsia vult exspectari, *Francos* quod attinet.

diderunt *Wollius*, *Tellerus*, *Hebenstreitius*, atque *Beyerus*. Quibus quidem praceptoribus omnibus, propter excellentem ingenii indolem, doctrinae verae studium, vitaeque probitatem, Fischerus in primis carus erat, carissimus tamen *Kappio* et *Christio*, quorum hic eum hospitio exceptit, et plurima ac maxima amoris fere paterni documenta dedit, ille vero, filium suum, qui iam Lipsiae artem medendi summa cum laude profitetur, ei instituendum tradidit. Hanc vero prouinciam Fischerus non propterea suscepit, ut tenuitas fortunarum suarum subleuaretur; etenim pater, qui liberos suos omnes mirifice amabat, lubenter et largiter praebebat filio, unde bene et honeste ageret vitam *); neque lucrī auiditate commotus, ab hac enim alienissimus erat, sed ut se conformaret ad munus scholasticum aliquando recte obeundum, eademque de caufa etiam *Ioh. Christi. Schmidium*, nunc I, V. D. Virum laudatissimum, erudituit. Neque tamen siati illi labores cum munere praceptoris domestici coniuncti, Fischerum ita occuparent, ut nihil superesset temporis ad literas tractandas et ediscendas, libroisque optimos studiose et diligenter lectitandos; sed tempus quod alii tribuere solebant adolescentes iudicis, comelationibus, hominumque inertium circulis, collocabat in literis Graecis et Latinis accuratius ediscen-

*) Vid. *Ioh. Frid. Fischeri* praefatio ad Collection. epist. virorum doctorum ad

Erdman. Rud. Fischerum,
Theol. Coburgens. Lipf.
circa 1660. 8.

ediscendis, et in cognoscendis arripiendisque at-
tibus liberalibus omnibus, quarum Scientia post-
ea nomen eius tantopere illustratum et nobili-
tatum est.

Invaluerat tunc temporis in hac Academia vt
et in aliis illa haud plane improbabilis confue-
tudo, vt doctores academici, saepius, assumto
focio adolescente docto et probato, exercitatio-
nes pro Cathedra disceptarent. Et Fischerus quo-
que primum praeeunte *Christio*, *de Phaedro*
eiusque fabulis, et post paulo *Franzio* praefide-
*de fine quem sibi Deus proposuerit in mun-
do creando*, disputauit. His in certaminibus cum
doctrinam suam probasset cunctis; A. xxxxvii. pri-
ma philosophiae laurea ornatus, et Baccalaurei,
vt vocant, dignitatem consecutus est. In qua
panegyri, more consueto, carmen graecum, *de
laudibus grammaticorum* recitauit. Sequentे
anno summos in philosophia honores accepit, et
cooptatus est in Collegium, quod vocatur Phi-
lobiblicum, cuius sodales etiamnunc singulis heb-
domadibus conuenire solent, et in explicandis
vtriusque foederis libris praeclaram operam po-
nunt. Eodem quoque anno, cum summa audi-
tate captus teneretur de salute ingenuarum arti-
tum docendo bene merendi, quae enascebatur
ex earundem incredibili planeque inusitata sci-
entia, quam sibi assidua lectione et diligenti
meditatione compararat, libellum *de ara Pacis*
conscriptis, et publice defendit. Atque ab hoc
inde tempore, totum se dedit erudiendae iuuen-
tuti

tuti bonarum literarum studiosae, eique adeo egregie paelectionibus suis profuit, ut maior indies ad eum multitudo confluueret. Aggressus etiam est conscribere et edere libros utilissimos, qui scientiae et eruditionis ipsius, non mediocris et vulgaris, sed summae et exquisitissimae auctores et testes essent locupletissimi maximeque idonei.

Iam postquam sex annos Fischerus Lipsiae discendo, docendo, scribendoque egerat, mortuus est *Hüflius*, Scholae Thomanæ Corrector. Haud ignoras *Reinharde*, *Vir Magnifice et Summe Reuerende*, molestiarum cum hoc munere coniunctarum magnitudinem, reddituumque tenuitatem. Nam praeterquam quod Corrector quinque horas fere quotidie scholis habendis insumere debet, etiam quarta quaque hebdomade inspectoris munere fungitur, h. e. adesse debet discipulis, quorum corpora aluntur liberalitate et benignitate senatus atque ciuium, siue precantibus, siue cibum capientibus, omninoque ad eorum vitam et mores attendere, iisque vias monstrare, quas ingredi et persequi eos oporteat in literis recte et accurate tractandis. Muneris vero redditus omnes quadringentis circiter imperialibus constant, quos tamen nuper senatus liberalitas centum imperialibus adauxit. Sed Fischerus, qui non faciebat cum iis, e quorum sententia quaerenda est pecunia primum et virtus post nummos, quem non latebant omnes huius muneris molestiae; solo utilitatis communis studio

studio, sola laudis et gloriae propriae cupiditate ductus, hoc munus ambiuit. Nec frustra. Cum enim satis abunde omnibus iam dudum probasset probitatem, industriam, doctrinam; cum senatus maxime idoneo viro hoc munus demandare cuperet, auctoritate et commendatione *Moscovii*, qui omnibus excellenter doctis verissime fauebat, Scholae Thomanæ Corrector delectus est A. cicccccccc.

Ab hoc tempore fama et existimatio, nominisque Fischeriani celebritas insigniter crevit, non tantum apud nostrates, sed apud exterros quoque. Quanquam enim iuuenis viginti quinque annorum, tamen auxilio Dei confisus, feliciter et prosperrimo successu munus scholasticum administravit. Non insistebat eorum vestigiis, qui vix suscepto munere scholastico, celerrime id fastidientes negligunt, tanquam sua persona non satis dignum; sed indefessum, fidelissimumque magistrum sese praebebat, acerrimoque studio in eo elaborabat, ut discipulos suos sapientiae et diuinæ et humanae opibus ornaret, eorumque saluti quoconque modo prospiceret. Quare et discipuli curae ac fidei ipsius commissi, magistrum adeo egregium, in quo haberent exemplum doctrinae accuratae parataeque, et seuerae sanctitatis, quod spectarent, ad cuius perfectionem sibi contendendum viderent, vnice suspiciebant et venerabantur, et si inter eos haud pauci eiusdem aetatis conspicerentur. Nec scholam tantum ornabat; scriptis etiam, quae omnium doctorum iudicio

iudicio et sententia probabantur, literas porro adiuuabat, ornabat quoque Academiam. Etenim Academicis libros vtriusque foederis, scriptores item Graecos et Latinos pluribus horis diligenter explicabat, et seorsim quoque, singulis adolescentibus, cum nobilibus tum aliis, tradebat literas ad humanitatem pertinentes.

Postquam ita per plures annos Fischerus de Academia praeclare meritus erat; non caeca quadam et temeraria vanitatis auditate, sed virtutum suarum sibi conscientius, et quo melius de Academia mereri posset, munus Professoris literarum humaniorum extraordinarium, ab Amicis Principis, quorum curae salus Academiae commissa erat, petiit. Sed praeter ipsius opinionem plures difficultates ei superandae erant prius, quam hanc prouinciam obtineret. Quamquam enim multi magnae auctoritatis et dignitatis viri, *Mascouius, Kappius, Christius, Belius, Wollius, Stemlerus, Ernestius,* alii, capti ingenii doctrinaeque Fischeri praestantia, eum vnice diligenter et vehementer amarent, sententiisque suis adiuuarent; tamen etiam inuidiam, verae laudis comitem, calumniasque multorum, expertus est hoc ipso in primis tempore. Sed ille grex inuidorum obtrectatorumque, quorum nomina in obscuro sunt, moras quidem nectere, non vero impedire potuit, quo minus Fischerus votorum suorum potiretur. Reprimebantur nimis voces illae inanes, laudibus et paeconiis, quibus Fischerum ornabant viri laudatissimi, et
pruden-

prudentia ac sapientia Curatorum Academiae nostrae, cui omni tempore tales contigerunt, qui saluti Academiae consulerent, eamque omni modo promouere studerent. Hi enim non commoti iniquorum sermonibus, Fischero munus quod pectorierat, quamvis ringentibus inquis A. CIOIOCCCLXII. demandarunt. — Quaenam fuerint caussae praecipuae inuidiae simultatumque multorum, etiam discipulorum, quas Noster expertus est, ipse in praefatione ad quatuor Platonis dialogos, his verbis exposuit: »Ego rusticus, inquit, atque simplex, qui nonnisi literulis, recteque factorum conscientia delector, quem casta atque integra religio, non anilis supersticio, nec simulatae pie-tatis pompa ineptiaeque iuuant; cui natura obsequendi aliis, adulandique facultatem maligna negauit, resistendum forti animo scholarum pestibus omnibus modis mihi persuasi: atque gratias habeo maximas, naturae non minus, quae liberum me, acrem, contemnentemque humanas res, diuitias, paupertatem, praetextam, pullam, vitam, pericula, mortem, genuit; quam fortunae, quae tam numerosum rebus meis gregem inuidorum, acerrimorumque obtrectatorum conciliauit et conduxit. Etenim quemadmodum assentatio et obsequium, et simulatio, insigniter humili paruique animi signa habentur: ita virtutem non ignoras sine aduersariis habescere fere, et labe-factari, frangi, concidere; odiis vero obtrectationibusque, ut ita loquar, et querimoniis ini-

quo-

quorum sustineri, firmari, et tanquam cote quada
acui.»

Aduersariorum suorum malignitatem, non illo
tantum tempore, sed saepius postea quoque expe-
rientialia edocuit cognovit, etiam tum, cum *Er-
nestius*, Vir Summus, munus scholasticum com-
mutaret cum Academico, atque adeo vacaret
Rectoris in Schola Thomana locus. Etenim arti-
bus inuidorum hominum factum est, ut non Fi-
scherero, qui quidem tunc aegrotabat, non ta-
men adeo grauiter, ut munere suo non posset
fungi, sed *Leisnero*, homini quidem docto, sed
cum Fischerero haud comparando, scholae mode-
ramen committeretur. Etsi vero hoc munus, quo
tantopere dignus erat, non acceperat, hanc ta-
men iniuriam aequissimo animo tulit, nec de
virtutis tramite deflexit, sed omnibus muneris
sui partibus, eadem, qua antea, fide et diligen-
tia satisfecit. Nec defuerunt huic ipsius probi-
tati praemia vberrima, dulcissima. Mortuus est
Leisnerus. Fischerus tunc temporis e morbo
grauissimo nondum plane conualuerat. Nempe
sedulitate sua incredibili, legendi, docendi, scri-
bendi, cogitandique quasi intemperantia, hypo-
chondriae vitium sibi contraxerat, et tanta cum
vi malum eruperat tandem, adeo omnes corpo-
ris partes fregerat et oppresserat, ut de salute ip-
sius exigua spes esset medico. Sed euaserat vi-
tae periculum, et malum, quamquam illo tem-
pore non prorsus sublatum, tamen arte *Rüdigeri*,
medici praestantissimi, ita imminutum erat, vt
reli-

reliquias illius etiam postea, in primis robustiori
aetate rarius sentiret.

Fischerus ergo, tunc temporis adhuc causarius, *Leisnero* mortuo, significabat Consuli et Consularibus viris, se non petiturum esse partes Rectoris scholae, eas dari et imponi posse alii cuivis, qui firmior ipso et robustior esset, modo redditus sui tenues atque exigui augerentur, quo securius sibi viuere liceret cum suis, quo plus prodesse vinculis rei familiaris curae solutus, opera sua discipulis posset. At illi viri sapientissimi et grauissimi, *Bornius* in primis et *Gutschmidius*, qui maxime consultum scholae cuperent; qui recordarentur illorum temporum, quibus *Casparus Börnerus*, *Ioh. Matthias Gesnerus* et *Johannes Augustus Ernestius*, alii, tanta cum laude et admiratione omnium scholae rectores fuissent; qui viderent, non esse cui rectius cura scholae committi posset, Fischerum nutantem et dubitantem confirmarunt, quod Deus corpori aegro valetudinem et vires redditurus esset. Quibus quidem cohortationibus et admonitionibus suis effecerunt tandem, ut munus illud precario peteret. Hoc cum comperissent ipsius aduersarii, omnem dabant operam, ut eum rursus hoc honore defraudarent. Lectiones, quas propter valetudinis imbecillitatem habere non potuerat, notarant. Earum indicem senatoribus tradebant; eum oneri tanto sustinendo prorsus imparem fore, dictabant, hominemque morosum et difficilem esse, clamitabant. Verum enim uero Consul et Consula-

fulares, reliquique senatores, spretis et neglectis
 his cupidis leuibusque criminotorum clamoribus
 et conuiciis, Fischerum, postquam sex et decem
 annos bonas literas in Schola Thomana tradide-
 rat, A. ciccccclxvii. sententiis suis, plaudente
 et approbante optimo quoque, rectorem lege-
 runt. Adscribere lubet ipsa Viri Venerabilis ver-
 ba, quibus usus est in oratione, quam muneris
 Rectoris adeundi caussa recitauit: » trado literas
 Consuli, non circumeo more candidatorum, non
 prenso, non sum ineptus, non peto blandius;
 Deum, quem rationibus meis nossem inde ab
 ineunte pueritia quam optime semper consu-
 luisse, rogo, vt si sciret, operam meam Scholae
 Thomanae utilem, fructuosamque futuram esse,
 rationem mei ab Senatu haberi iuberet. Ita ve-
 ro, me quiescente, reique exitum animo ae-
 quo et otioso exspectante, sit, vt quem Consul,
 quem Consulares, iam vultu et sermonibus con-
 stituissent huius scholae rectorem, eum vniuersi-
 sus Senatus sententiis suis legeret, non commo-
 tus, non impeditus, leuitate criminacionum et
 clamorum iniqua, quibus liuida et virulenta, in-
 vidorum quorundam cupidorumque hominum,
 qui mihi non tam honorem et dignitatem, quam
 fructus et commoda noui muneris, ieconi humili-
 esque inuidenter, lingua atque vox, omnes nu-
 per vicos urbis, omnes stationes et λέσχας, om-
 nes circulos, me clam, noscis enim turpissimam,
 maximeque detestabilem obtrectatorum nigri gre-
 gis peruersitatem, replerat.«

Mode-

Moderamen scholae, postquam prouidentiae et fidei Fischeri commiserat Senatus, tanta cura atque studio expleuit huius muneric numeros et partes omnes, vt Senatus opinioni et spei non modo responderet, sed etiam longe superaret. Quanta auctoritate, circumspectione, vigilantia, fortitudine et seueritate, lenitate tamen et humanitate temperata scholam rexerit, quam egregia ipsius disciplina fuerit, non opus est vt Tibi, *Vir Magnifice et Summe Reuerende pluribus demonstrem.* Testatur hoc satis superque insignis multitudo virorum, de omni republica optimo meritorum et adhuc merentium, qui grati profitentur ore animoque pio, se huic scholae praeter doctrinae liberalis copias, honestatis omnis studium debere; testatur hoc idem vniuersa ciuitas, nec ullius vel improbitatis impudentia, vel inuidiae malignitas negabit. Quamdiu enim scholam moderatus est et gubernauit, eique suis institutis vti licuit, nunquam fere auditae sunt ciuium querelae, de inuercundia, insolentia, nequitia, vitaque dissoluta discipulorum. Etenim opera et studium eius non tantum in eo versabatur, vt puerorum et adolescentium ingenuorum ingenia omnis diuinae humanaeque sapientiae copiis augerentur, sed vel in primis in eo, vt animi ornarentur omnis virtutis et honestatis opibus. Quare cohortationibus, admonitionibus, obiurgationibus, minis, praemiis, et si necesse esset, poenis quoque, eos a pigritiae, vitiorumque illecebris auocare, ad modestiae, pietatis,

b

sancti-

sanctitatis studium incitare, inflammare, atque in eo confirmare, omni ardore elaborabat. Ab omni autem partium studio alienissimus erat. Non indulgebat vitiis eorum discipulorum, quorum parentes diuites et opulent, vel dignitate conspicui essent, non eos, desides, inuerecundos, atque laude indolis omni carentes, souebat et commendabat, reliquisque discipulis probis quidem et diligentibus, pauperibus tamen et inopibus praeferebat; vt facere solent p[re]ceptores, omnia ad lucrum et quaestum referentes, et commodis suis vnice seruientes, quo praeter mercedem legitimam corollaria quoque accipient; sed eos tantum amabat et vehementer diligebat, qui probitatis modestiaeque studio, literarum siti et cupiditate sese commendarent, et si pauperissimi, eorumque parentes insimo loco nati essent. Doctrinae virtutisque discipulorum incrementis vnice delectabatur, ita quidem, vt in iis omnes sui laboris et operaे, curae et diligentiae fructus, omnia p[re]mia posita putaret.

Rectoris Scholae Thomanae munus, Affini meo, multos et statos labores iniungebat. Neque enim tantum fere quotidie tres quatuorue horas lectionibus habendis impendere debebat, sed quotannis etiam scribendus erat atque p[re]mittendus libellus, oratiunculis disciplinae Thomanae alumnorum scholae valedicentium, quo ad easdem audiendas Patroni, et Curatores et Fautores scholae inuitati conuocarentur. Praeclaro profecto et laudabilis consuetudo! qua magi-

magistris offeratur commodissima occasio bene
merendi de salute scholae, discipulorum, litera-
rumque; et probandi omnibus suam doctrinam
atque eruditionem. Fischerus igitur, qui probe
intelligebat, quam vtile, quam salutare hoc insti-
tutum esset, qui occasionem quamcunque, qua
discipulis curae suae creditis, et literis et Scho-
lae Thomanae prodeesse posset, quam audiissime
arripiebat, non modo tunc, cum discipuli disces-
sum in Academiam pararent, conscribebat libel-
los, quibus proponeret, quae in legendis expli-
candisue scriptoribus diuinis et humanis, vtrius-
que linguae, vel neglecta ab aliis, vel perperam
tradita, vel non satis explicata reperiisset; sed
etiam noua lege constituebat, vt pridie Calen-
das Januarias anni cuiusque, discipulorum primi
ordinis veteranorum quidam orationem haberet,
ad quam audiendam, prolusione ab rectore pree-
missa, Fautores scholae corrogarentur. Adeo
egregie famae et existimationi scholae consulere
studebat! adeo diligenter omnia sua studia ad
commoda illius referebat! Tempus vero reli-
quum, negotiis scholasticis vacuum, Vir laborio-
fissimus ita collocabat, vt scriptores vtriusque lin-
guae optimos ederet, notisque exquisitissimis, eru-
ditionis accuratae plenissimis illustraret et ador-
naret: Aeschinis Platonisque dialogos, Ouidium,
Iustinum, Florum, Cornelium Nepotem, Palae-
phatum, Demetrium Phalereum, Theophrastum,
Anacreontem. Et Fischeri quidem editiones, adeo
omnium plausum tulerunt, adeo diligenter sem-

per et vbiuis usurpatae sunt, vt saepius repente
dae essent librariis.

Haud miraberis, *Vir Magnifice et Celebre-*
rime, Affinem meum, prouectiori praesertim ae-
tate, tot labores sustinere potuisse, nosci enim
quam diligens fuerit diei dispensator, quam mi-
rabilem a natura alacritatem facilitatemque agen-
di habuerit, quantopere fugerit assiduam et pro-
miscuam cum aliis consuetudinem, quam sobrie
et temperanter vixerit. Laborandum esse dicti-
tabat, et saepius eum affirmare memini, se,
quamquam senem, quotidie discere debere, nec
aliis suas inuidere voluptates, se enim vnice lite-
ris delectari, et studium literarum ac virtutis an-
teponere studiis, rebusque aliis omnibus. His
autem perpetuis laboribus, senioque, corpus,
quod a natura habebat firmum et robustum, tan-
dem fractum est. Iam exeunte superiori anno
aduersa valetudine laborare coepit, medicorum
tamen arte conualuit, ita, vt consuetis laboribus
sufficerent corporis animique vires. Hoc vero
ipso anno die festo secundo memoriae Christi re-
diuini dicato, cum coenare vellet, in vitae dis-
crimen incidit ab impetu *ἀπολήξεως*. Etenim
repente caligine oculis offusa, titubat, et praee-
ceps in terram actus esset, nisi et vxor et filiae
in auxilium aduolassent. Ab his, sensuum stupore
oppressus, lectulo imponitur; aduocantur me-
dici peritissimi, *Haasius* et *Kappius*, ipsius
quondam discipuli; aegrotus balbutit, praesentes
non agnoscit, et inter verba obdormisicit; tan-
dem

dem post plurium horarum interiuallum, arte medicorum excellenti ab illo torpore reuocatur, e vitae periculo euadit, et adhibitis saluberrimis medicamentis ex grauissimo morbo breui recreatur. Iam veluti renatus, rursus alacriter munera sua obibat, adornabat prolusionem hoc ipso anno exeunte euulgandam, et animaduersiōnū ad Welleri Grammaticam Graecam speciminis tertii partem priorem absoluebat. Sed non diuturnus ei contigit valetudinis restitutae usus. Etenim ineunte autumno repente paralyſi captus est, ita, vt primo dextrum, deinde vero etiam sinistrum brachium mouere non posset, atque cruciatus acerrimos subinde sustineret. Et tamen in tanta imbecillitate corporis, ad extreum ferre vitae tempus cogitandi vigorem conseruauit animus, ita, vt cum amicis et cognatis qui eius visendi cauſa venissent, sermones habere, etiam de rebus ad literas pertinentibus posset, quibus vt et rerum diuinārum cogitatione dolores obrere studebat. Neque enim impatientia se opprimi sinebat, sed fortiter dolores grauissimos perferebat. Tandem vero morbus ingrauescebat, ita, vt medici peritissimi, quos supra nominauiimus, de salute viri actum esse, declararent. Postquam die x. Octobris rursus crudelissimis doloribus corpus tentatum erat, inde a vespera usque ad medianam noctem; derepente sensuum stupore oppressus est, et die xi. Octobris, hora xi. antemeridiana, placide et sine ullo mortis sensu, vt

optarat saepius *), exspirauit et vitae sanctae ac praecclare peractae finem fecit.

Quidem *Vir Magnifice ac Summe Reuerende*, vel ex iis, quae hactenus notaui, facile appariturum esse arbitror, Fischerum sanctitatis, probitatis, grauis solidaeque doctrinae studiosissimum fuisse, meritis maximis et amplissimis literas, scholam omnemque rempublicam sibi deuinxisse; contigisse vero etiam ei, harum virtutum suarum praemia et ornamenta, fauente diuina prouidentia, vberrima, et dulcissima. Ad illa vero praemia, quae iam commemorata sunt, accesserunt tanquam cumulus et alia quaedam, de quibus nunc dicendum est. Atque eo ante omnia referri debet matrimonium felicissimum, quod A. 1713 CCLXIII. inierat cum *Johanna Sophia, Abrahami Krigelii*, qui tunc tertio loco in Schola Thomana bonas literas docebat, filia natu' maxima, quae iam vidua maritum sibi erectum moeret. Haec enim semina sexus sui decoribus ornatissima, amoris et reuerentiae mariti plena, confuetudine et alloquio suo, curas et labores ipsius leuabat, liberorum diligentissimam curam habebat, et rem familiarem prudentissime administrabat, ita, ut maritus neque ea

*) In Praefat. ad Collect. epist. viror. doctor. ad patrem, p.8. scripsit: *video iam iam instare diem, qua mis hi quoque naturae debitum reddendum sit. Deus O. M.* me quiescere iubeat morte placida, quam liquidorum aeternorumque gaudiorum usura, Christi servatoris mei caussa, consequatur.

ea fideliores et magis piam, neque suauiores
contingere sibi potuisse vxorem, non semel sed
faepius, laetabundus, publice quoque, profiteret-
ur *). Ex ea tulit septem liberos; filium, quem
tamen XV. annorum adolescentulum mors prea-
matura abstulit, et filias sex, quarum natu-
maxima, *Johanna Friderica Charlotta*, A.
cisiocccxcii in matrimonium data est *Johanni*
Augusto Wolfso, Theol. D. et Prof. ad aedem
Thoman. Archidiacono, Stipendiatorum Electora-
lium Ephoro, et Nationis Misnicae Seniori, viro
de Academia et Ecclesia praeclare merenti; duae
filiae *Carolina* et *Agatha*, infantes vita exces-
serunt. Tres reliquit *Sophiam Augustam*, *Chris-
tianam Eleonoram*, et *Christianam Guiliel-
miam*, virgines ornatissimas. — A. cisiocccxxxii
Affinis meus etiam hoc doctrinae et sapientiae
suae praemium cepit, ut in numerum sodalium
Collegii minoris Principum praeter omnem spem
et exspectationem suam reciperetur, auctoritate
maxime *Krausii*, Medicinae Professoris eruditissi-
fimi et celeberrimi. Quinques iam hunc hono-
rem Fischerus petierat, sed, ut fieri solet, repul-
sam tulerat. Hoc vero tandem se ornatum esse
beneficio, laetabatur etiam propterea, quod ei,
auctis hoc modo quoque redditibus, eo securius
et commodius cum suis viuere licebat. Denique
etiam haec ei felicitas contigit, ut superiori anno
magisterii solennia semisaecularia celebraret, cu-
b 4 ius

*) Vid. Exodi particula, et Lemitics Gr. e Cod. Bibli-
oth. Paulin. Lipſ. Praefat.

ius felicitatis laetitiam ei publice gratulatus est
Ordo Philosophorum Amplissimus; et breui mu-
neris quoque scholastici annum celebraturus fu-
set quinquagesimum, nisi eum haec gaudia spe-
rantem mors importuna praeuenisset.

Atque haec quidem habui, quae Tibi, *Rein-
harde, Vir Magnifice et Summe Reuerende,*
de vita Viri Immortalis narrarem. Et quamquam
hactenus non leuiter tantum illius imaginem ad-
vibrasse mihi videor; probe tamen etiam intel-
ligo, accuratius hanc adumbrationem elaboran-
dam esse, quo haec lecturi, plenius ac melius
perspiciant, qualis et quantus vir Fischerus fue-
rit. Quam praeclaris ingenii dotibus natura fau-
trix eum exornarit, quam celeriter perceperit,
quam constanter percepta retinuerit, testatur sci-
entia linguarum disciplinarumque, quas paene puer
didicerat, quibus maturiori aetate tantopere emi-
nuit et excelluit; egregie enim callebat linguas
orientales, Hebraicam, Chaldaicam, Syriacam,
Samaritanam, Arabicam, Aethiopicam, et Latini-
narum in primisque Graecarum, ut et omnium
bonarum literarum in Germania facile princeps
erat; testantur et loquuntur etiam tot ingenii
sui monumenta quae condidit. Iudicio valebat
peracri, ita, ut cum ei locus scriptoris difficilis
vel emendandus, vel explicandus esset, acute ce-
leriterque verum a falso discerneret, nodumque
omnem solueret. Quicquid Graecia Latiumque
ad nostram aetatem monumentorum transmisit,
etiam recentiorum scripta ad literas bonas perti-
nentes,

nentes, legerat, et quidem cum sensu ac notatione, et memoria ei adeo fida atque officiosa erat, ut sine memoriae adiumento, ei sponte, quae legerat, recurrerent, cum ad scribendum se accingeret. Quae vero scriperat, etiam libelli ipsius minores, legebantur cupidissime. Alliciebat enim lectores et argumentum quod pertractauerat, et orationis latinae forma, quae tota composita cernebatur ad rationem atque normam scriptorum veterum optimorum, certissimorumque verae eloquentiae magistrorum. Nec vñquam ei deerat, quod diceret apte ad caussam et personas. In illis ipsis praefatiunculis, descriptionibus lectionum scholae Thomanae magistrorum praemissis, vel aliquam bonam sententiam non sine suavitatis commendatione pertractabat, vel etiam proponebat, quae lectionem et interpretationem librorum graecorum veterum adiuuarent. Sic verbi caussa inde ab A. xciv. usque ad A. xcix. Lexicon Stephanianum vocabulis triplicis generis e Platonis dialogo, qui inscribitur Cratylus, petit locupletabat; nempe verbis vel omnino omis- sis, vel sine vlla scriptorum veterum auctoritate positis, vel iis, quorum significatus varii in illo Lexico neglecti essent; ita, vt et verba ipsa, et locos, vnde desumti essent, accuratius illustraret.

In edendis vero auctoribus Graecis et Latinis, aliisque libris ad interpretationem scriptorum diuinorum pertinentibus, personam egit Critici Grammaticique perfecti, omnibusque numeris absoluti. Non temerarius, et audax, et nu-

gatorius syllabarum auceps erat, sed Criticus subtilis, sobrius, modestus, doctus. Summa cum cura et solertia colligere solebat lectiones varias, easque diiudicabat, ita, ut etiam virorum doctorum coniecturas et emendationes, earumque aut veritatem et elegantiam, aut vanitatem et ineptias aperiret. Confugiebat interdum etiam ipse ad coniecturas, cum eum desituebant libri scripti iisque antiqui et boni, aut ex iis diligenter editi, quos in auxilium vocarat, hac tamen cum modestia, ut eas non in textum inferret, sed eruditis iudicandas relinquaret. Omnino malebat interpretatione legitima, linguaeque usibus apta locos obscuros et difficiles explicare, quam audaci coniectura, quae facilior est, et vero etiam fallacior. Quare saepius quoque notabat et reprehendebat eos, qui coniecturis suis audacibus scriptores priscos corrumperent; omnium vero maxime improbabat eorum studia, qui sacros libros detrahendo, interpolando, corrigoendo deprauare, et cum erroribus suis in concordiam cogere conarentur. Interpretationis librorum sacrorum veritatem et grauitatem, anctoritate praceptorum Graecae, Hebraicae reliquarumque Orientis linguarum, consensu usus loquendi, et intentione mentis ipsorum anctorum, vnice contineri existimabat, et ridebat eos, qui neglecta accurata plenaque linguarum veterum et legum iustae interpretationis cognitione, commendarent et nimiis laudibus extollerent interpretationem practicam sive moralem, qua nostra aetate

aetate quam plurimi tantopere abusi sunt. Ipse
 igitur in illustrandis explanandisque scriptorum sa-
 crorum locis assidue grammaticis illis subsidiis
 vtebatur; quam diligenter vero, et accurate, et fel-
 liciter, illis vsus sit, quot locorum interpretationem
 vulgarem nouis praesidiis munierit, quam egregia
 fuerint ipsius paecepta, cum idoneis de caussis
 a vulgari interpretandi ratione recederet, quot lo-
 cis nouam lucem affuderit, quanta ipsius fuerit
 aduersus doctrinam diuinam verecundia; quam
 leniter iudicauerit de iis, qui solida doctrina ins-
 tructi, salua caufsa et fententia doctrinae diui-
 nae, diuersam libros sacros explicandi rationem
 tenerent, non opus est vt copiosius Tibi demon-
 strem, *Reinharde, Vir Samme Reuerende at-*
que Eruditissime. Eandem vero diligentiam,
 curam, circumspectionem et eruditionem sum-
 main, quam in enarrandis auctoribus sacris pro-
 babat omnibus, adhibebat quoque cum in lucem
 emitteret libros scriptorum veterum Graecorum
 Latinorumque. Et in conscribendis quidem animaduersionibus, quibus hos libros locupletabat
 et adornabat, non tantum hoc agebat, vt integritatem incorruptam orationi scriptorum redderet,
 sed etiam vt locos difficiliores enodaret et breuiter
 strictimque, diligentissime tamen explicaret. Quo
 vero melius consuleret rationibus adolescentium
 doctrinae antiquae cupidorum, libris haud pau-
 cis adiecit indices verborum formularumque co-
 piissimos, qui linguae Graecae thesauri nomi-
 nandi sunt, et doctissimorum hominum omnium

puncta

puncta tulerunt. Quamuis autem Fischeri scripta omnium omni tempore desideriis et optatis satisfacerent, nunquam tamen sibi ipse satisfaciebat vir religiosissimus; sed Melanchthonis, Camerariique more, quibus doctrina pariter atque virtutibus simillimus erat, semper in scriptis suis, etiam editis, emendandis et perpoliendis laborabat, ita, ut cum liber in lucem editus esset, non multo post nouas emendationes et additamenta plura adiceret, maximam partem exemplaris sui margini.

Docendi genus, quo Fischerus in scholis suis vtebatur, perspicuum et accuratum, atque ita comparatum erat, ut puerorum adolescentiumque ingenuorum mentes bonarum literarum opibus quam optime locupletarentur. Docebat autem Geometriam, Logicen et Rhetoricen, enarrabat Antiquitates Romanas, Historiam vniuersalem; saepius stylis sui acumine castigabat discipulorum commentationes oratione latina ab iis conceptas, et ut eorum ingenia acuerentur, alerentur, atque memoria augeretur, liberalis et ingenua confidentia excitaretur et adiuuaretur, interduim eos etiam declamando exercebat. Erat autem iis artis declamandi et eloquentiae latinae non modo praeceptor egregius, sed etiam exemplum rectissimum et luculentissimum. Quam praeclare enim didicerit facultatis oratoriae copias, declarant atque testantur orationes, quas vel ipse habuit, vel a discipulis publice haberri iussit, et formulis stan-neis describendas curauit, quae etiamnum non fine

sine magna quadam cum voluptate leguntur et laudantur, ab omnibus copiae et ornatus linguae latinae iudicibus, tanquam admiranda eloquentiae latinae exempla. Nam etiam illae orationes, quae quotannis ab alumnis scholae Thomanae publice recitabantur, ab eo adeo diligenter emendatae, castigatae et perpolitae erant, ut non discipulum, sed magistrum ipsum dicentem audires. Quapropter etiam semper conuenire solebat magnus auditorum numerus, quos Fischerianae orationis latinae elegantia omni vbertate copiosa et amoenitatum plenissima, et oratiuncularum argumenti grauitas atque praestantia alliciebat et attrahebat. Etenim oratores vel dicebant de rebus publice priuatimque vtilissimis, vel excitantibant et renouabant memoriam virorum sumorum, quorum caritate et admiratione Fischerus inflammatus flagrabat, *Philippi Melanchthonis, Georgii Fabricii, Ernesti Pii, Viti Ludouici Seckendorfii, Claudi Salmasii, Iani Cornarii, Conr. Rittershusii, Ioh. Gerhardi, Sethi Caluifii, Christophori Cellarii* (magni quondam scholae Cizensis, cui Deus faueat! ornamenti) *Ioh. Aug. Ernestii, aliorumque.*

Sed vt ad Fischeri docendi genus redeam; studiosissime sibi agendum existimabat hoc, vt adolescentes curae et fidei suae crediti, magnam mature cum Graecis et Latinis auctoribus familiaritatem contraherent. Itaque non singulis annis eosdem libros enarrabat, sed quotannis fere alios, et cum post plurium annorum interualum

Ium libros iam expositos denuo explicaret, non eandem cantilenam decantabat, sed quae legif-
set interea, aut notasset subtilius, aut rectius
perspexisset, ea cum discipulis communicabat, ad
quos edocendos nunquam nisi commentatus in
cathedram escendebat. In docendo mira alacri-
tas animi apparebat, et institutio ipsius ingenii
viribus vniuersi accommodata et conuenien-
ens erat. Nempe in interpretandis scriptoribus
Hebraicis, Graecis et Latinis hanc fere sequi et
tenere solebat rationem: Verba scriptoris singula
et iuncta explicabat, ita, ut significaciones eo-
rum varias diligenter persequeretur, harum vero
cohaerentiam et necessitudinem aperiret, ut ostend-
eret, quaenam notio loco quoque, verbo for-
mulaeque cuique tribuenda esset, ut demonstra-
ret signa, quibus illa certo reperiri posset, ut do-
ceret quam lectis et aptis verbis sententiam suam
auctor expressisset, quam elegans esset verborum
structura et compositio. Res et sententias, ex histo-
ria, ritibus, institutis, moribus veterum, curiose il-
lustrabat, praecepta sua auctoritate scriptorum ve-
terum et recentiorum, idoneorum plurium con-
firmabat; textum scriptoris recensebat, et emen-
dabat, ita, ut notas afferret, quibus lectiones
falsa agnoscerentur, earumque origines demon-
straret; omninoque nihil intactum relinquebat
quod obscurum esset et intellectu difficile. Has
autem animaduersiones suas paelegebat et vte-
batur sermone latino. Cum vero vellet, ut disci-
puli assiduitate, industria, diligentia inter se cer-
tarent

tarent et contenderent, quo' etiam cognosceret, an recte et accurate quae notasset, percepissent, se ipsum haud raro interpellabat, ita, vt eos interrogaret de rebus variis, quae ad explicandum et illustrandum scriptorem facerent, et vt ingenia bona, cum lectionis varietas adesset, lectionem veram et genuinam restituere et menda scripturae tollere iuberet. Cogebat item discipulos in orbem scriptorum Graecorum Latinorumque locos in linguam Latinam vel vernaculam transferre, ita vt et haec eorum studia p^raecep-
tis suis regeret et mirifice adiuuaret. Interdum etiam, cum ipsi necesse videretur, inter docen-
dum digrediebatur ad p^raecepta morum, pecca-
ta, errores, vitia exprobrabat, et liberali seueri-
tate castigabat, doctrinae contra et virtutis stu-
dium laudabat et commendabat, ita vt exempla
proponeret virorum doctorum, in primis eorum,
qui quondam scholae Thomanae alumni fuissent,
quo discipulos incitaret, vt ad easdem laudes et
virtutes iisdem viis contenderent. Discipulos qui
assiduitate, diligentia, modestia sese commenda-
rent, non, quae est multorum scholarum magi-
strorum satis peruersa consuetudo, laniibus sum-
mis in coelum extollebat, quibus haud raro in-
genia inflantur, ad inuercundiam et arrogan-
tiā perducuntur, aliorum vero deprimuntur;
sed vultus et frons blanda, atque vox Viri, satis
docebat qui recte respondisset, quorum diligen-
tiā atque industriā probaret; et suo tempore
eos quoque p^raemiis ornabat.

Tam

Tam praeclara vero et excellens cum fuerit Fischeri puerorum adolescentiumque ingenuorum institutio per quadraginta nouem annos, num mirandum est ex eius disciplina tot ornamenta et decora rei, et publicae, et christianaee, et literariae exiisse? Sed iam satis de ingenio, doctrina et meritis immortalis memoriae Viri dixisse mihi videor; supereft ut et de animo moribusque ipsius nonnulla afferam. Sanctitatis, probitatis, virtutisque omnis studiosissimus erat, in eoque agnosci poterat antiquae illius et Germanicae simplicitatis, sidei et Grauitatis imago praeclarissima. Ab omni simulatione et adulazione alienissimus erat, quae promiserat, constanter seruabat, nullis aduersus quemquam malis suspicionibus indulgebat, cum nemine callide, et suspiciose, cum omnibus libere et candide viuere volebat. Libere et candide iudicabat quoque de rebus et hominibus; quos doctrinae virtutisque laudibus dignos, et studio artibus ingenuis consulendi florere animaduertisset, eos singulari amore et benivolentia complectebatur, viuos et mortuos admirabatur, laudabat et commendabat; quos vero his laudibus indignos intellexisset, eos quoque libere notabat et grauiter, moderate tamen pronuntiabat, quid sibi de iis videretur, omnium vero minime eos ferre poterat, qui cum inscitia coniungerent impudentiam, qui virorum optime meritorum famam laederent, qui gratiam aliorum humili blanditarum et affestationum vanitate aucuparentur, quo consequerentur honores

nores et ornamenta, a quibus eos doctrinae mediocritas intercluderet. Haec tamen ingenua libertas, saepius Fischoero, eiusmodi hominum, qui veritatis vocem grauem omnium minime audire vellent, odia occulta et obscura, inimicitias aperatas etiam, acerrimasque iras, contraxit; sed nihilominus malebat cum aliquo incommodo suo veritati studere, quam simulare et adulari et maleuole tectus esse. Iniurias autem sibi illatas fortiter et constanter perferebat, et odia inuidiamque iniquorum contemnebat ac despiciebat. Ad amicitiam colendam pronus erat, eam tamen non in blanditiis, verborumque lenociniis, et salutationum comitate, ponebat, neque ipse in formulis benevolentiae significandae admodum disertus erat, sed in voluntate sincera, verisque officiis. Maxime enim officiosus erat erga amicos, neque tantum erga hos, sed etiam erga omnes. Neminem frusira ipsius auxilium implo rasse scio, et si quem consiliis vel re ipsa adinverat, sibi ita gratulabatur, ac si ipse beneficium accepisset. Et quamquam ei haud raro non optima gratia referebatur ab iis, quos omnis generis beneficiis ornasset, qui utilissimam ipsius operam saepius experti essent, nihilominus tamen officiosus esse pergebat, Vir ad ignoscendum paratissimus. Discipuli, aliique, ut hoc uno exemplo defungar, scrinia ipsius haud raro compilabant, et tamen nunquam denegabat schedas suas iis, qui eas in usum suum describere vellent. In primis mihi hac occasione notanda est Ioh. Frid.

c

Bahrard-

Bahrdtii impudentia, qui Fischeri paelectiones in Malachiam, quas ei describendas commodarat, illo infcio edidit, et ita quidem, vt suas animaduersiones esse mentiretur *) *Dathium* quoque, LL. OO. quondam in Acad. Lips. Prof., similem fraudem commisisse, refert Illustris *Harlesius* **) Vir Amicissimus, cuius verba adscribere liceat » cum Dathio ante aliquot annos controuersiam habuisse (Fischerum), ex ephemeridi bus literariis Erlangensibus (*etiam ex nouellis literariis Lipsiensibus*) docemur. Dathius enim, qui in dissertatione quadam Hoseam ex reliquiis versionum Graecarum, Aquilae inprimis, V. T. illustrabat, plagii literarii ex schedis Fischeri accusabatur, crimen vero depulsurus ille contendebat, se, quae nouitatis vtilitatise speciem praevererent, ea ex scholis Ernestii, non ex recitationibus Fischeri, quibus perpaucas se interfuisse aiebat hebdomas, accepisse, in suumque usum conuertisse.« Evidem nolo Dathium sua laude fraudare, hoc saltem certo affirmare auctim, Fischerum ab omni inanis gloriolae cupiditate et studio longissime alienum fuisse, quod etiam sponte et vltro confitebuntur omnes, quibus Virum accuratius nosse contigerit.

Quam-

*) Vid. etiam eiusdem *Bahrdtii* Diff. in Psalmum II. Lips. 1766. 4. in qua quoque plurima e Fischeri schedis surrepta sunt.

*) In breui descriptiuncula vitae Fischeri, inserta: Vitis philologorum nostra aetate clarissimorum Vol. I. Bremae 1770. 8.

Quamquam muneris, quo Fischerus Vir Meritissimus perfungebatur, redditus in primis ut nunc sunt tempora, non adeo magni et ampli erant, tamen salarii augmentum, nec petierat vnumquam, nec acceperat; paucis enim contentus esse didicerat, et rem familiarem conseruabat diligentia, frugalitate, parsimonia, honesta tamen, quae rationem haberet decori, nec aliorum commodis officeret. In suos indulgentissimus erat, quae tamen ipsius indulgentia, sapientia officiique grauitate temperabatur. Quare et liberi ipsius, in quibus educandis et instituendis nec laboribus nec sumtibus parcebat, libenter eius auctoritatem reuerebantur, ita, ut ab ore ipsius penderent, quaeque vellet, summa cum animi voluptate persicerent. Eodem omnino studio colebant patrem, quo parentes suos, quoad viuerent, coluerat pater, hoc est, summo et flagrantissimo. Ut vero prius erat Fischerus in suos, et parentes, ita quoque in Deum pietatis studio captus et inflammatu tenebatur constantissimo, acerrimoque. Nec fucata erat illius pietas, non exardescerat tantum in animo ipsius, non ore tantum et sermonibus eam usurpabat, sed vitam, et instituta, et studia omnia ad religionis praeceptorumque diuinorum normam et regulam componebat ac dirigebat, pietatemque suam etiam cultu Dei religioso declarabat. Diebus festis et dominicis frequenter interesse solebat concionibus, quae de rebus diuinis in templis haberentur, cum vero valitudinis caussa sacra publica obire non posset,

praesertim hieme, prouectiori aetate, illis in primis diebus volumina diuina, et alia ex ipsis fontibus deducta, etiam libros doctorum veteris ecclesiae studiose lectitabat, et meditationi rerum sacrarum vacahat. Diligenter quoque et reuerenter religionis sacra obibat. Dei auxilium omnibus in rebus circumspiciebat, et ardentissimis precibus implorabat. Neque in rebus secundis efferebatur, sed admirabatur laudibusque summis extollebat benignitatem et liberalitatem Dei incredibilem; neque in rebus aduersis ita se deprimenti patiebatur, ut animum recipere non posset. Haud scio, an vlla vnquam re magis animus ipsius perturbatus sit, quam praematura morte filii vniici, *Erdmani Friderici Rudolphi*, praeclarae spei, eximiaeque probitatis et modestiae adolescentis; attamen reuerenter se submittebat voluntati diuinae, et pietate in Deum, cogitatione rerum coelestium, doloris stimulus hebetare, animumque tranquillare studebat. »Deus me, scribit ad *Ackermanum*, Medicinae Prof. Kiloniensem Celeberrimum *), usque cogitare diligenter iubeat, animum filii mei iam in coelo gaudiis liquidis et incredibilibus cumulatum versari, meumque animum esse breui in easdem sedes, vbi eadem percipiat gaudia, migraturum.»

Talis igitur et tantus vir Fischerus fuit *Reinharde, Magnifice et Summe Reuerende*, qui sciens

*) In epistola praefixa Proluſſ. de vitiis Lexic. N. T., p. XIII.

Scientia bonarum literarum summa; virtutis studio, quod e fonte religionis et pietatis in Deum purissimo promanaret, flagrantissimo; meritorumque in literas, et in Scholam Thomanam, omnemque rempublicam magnitudine et amplitudine incredibili, tantopere eminuit, ut memoria ipsius nullo vnuquam modo obscurari, non nisi cum literis concidere et interire possit. Quodsi haec mea vitae Fischeriana delineatio optatis ac desideriis Tuis, *Vir Magnifice et Celeberrime* satisfecerit, impense laetabor. De me vero Tibi persuassimum esto, me per omnem vitam meam Fischeri merita, et Tua, in me incredibilia, pia grataque mente conseruaturum, omnique contentione et studio Tuas atque Fischeri virtutes aemulaturum esse. — Vale. Scripti Lipsiae d. xxiv. Dec. ccccxcix.

- 1) Specimen I, obseruationum in N. T. e scriptoribus Graecis et Latinis aliisque antiquitatis venerandae monumentis auctore Joh. Frid. Fischer. Lips. 1748. 4. — 2) Diff. de ara Pacis, ib. 1748. 4. 3) Comment. in Hebr. IX, 3. ib. 1749. 4. — 4) Animaduerff. in Iac. Welleri Grammaticam Gr. ib. Voll. III, 1750—52. 8. — 5) Christ. Stockii Clauis N. T. et V. T. ib. 1752. 53. 8. — 6) Aeschinis Socratici dialogi tres ib. 1753. 8. — 7) Leufdenii libellus de Hebraismis N. T. ib. 1754. 8. — 8) Anacreonis carmina, cum notis Baxteri, Stephani etc. ib. 1754. 8. — 9) Pasoris Lexicon N. T. emendatum et auctum ib. 1755. 12. — 10) Dresigii Commentarius de verbis mediis N. T. etc. ib. 1755. 8. — 11) Welleri Grammatica Graeca ib. 1756. 8. — 12) Moeridis Atticistae *λέξεις Αττικῶν καὶ Ἑλλήνων* et Timaei Sophistae *λεξικον τ. τ. λ.* ib. 1756. 8. — 13) Iustini Historiae Philippicae e rec. Graenii etc. ib. 1757. 8. — 14) Specimen clavis versionum Graecc. V. T. Aquilae, Symmachi, Theodotionis, quintae, sextae et septimae ib. 1758. 8. — 15) Ouidii Opera, cum notis N. Heinlii curavit, et indicem adiecit ib. 1758. 8. — 16) Aeschinis

Axiochus, gr. recensuit, et notis illustravit, ib. 1758. 8. — 17) Obff. criticae in Malachiam ib. 1759. 4. — 18) Corn. Nepotis vitae excell. imperatt. cum animaduersfl. Bosii, et libello variar. lectt. ib. 1759. 8. — 19) Platonis dialogi quatuor Euthyphro, Apologia Socr. Crito, Phaedo, gr. c. variett. lectt. et animaduersfl. critt. ib. 1759. 8. — 20) Florus ex rec. Graevii c. animaduersfl. ciufl. ib. 1760. 8. — 21) Epistolae viror. quorundam doctorum ad I. A. Bosium, e bibl. Paulin. ib. 1760. 8. — 22) Palaephatus de incredibilibus c. notis et indice ib. 1760. 8. — 23) Prol. de verff. V. T. literarum hebraic. magistris ib. 1762. 4. — 24) Oratio de Ioachimo Camerario, grammatico pariter atque theologo excellenti ib. eod. a. 4. — 25) Theophrasti Characteres gr. c. not. et indice. Coburgi 1763. 4. — 26) Selectae historiae e profanis scriptt. historicis Lipi. 1764. 8. — 27) Aeschini diall. tres, ed. sec. ib. 1766. 8. — 28) Oratio munieris Rectoris Scholae Thomanae adeundi cauffa habita ib. 1767. 4. — 29) Exodi particula et Leuiticus, gr. e. cod. MS. biblioth. Paulin. ib. 1767. 8. — 30) Defensio locorum quorundam Platonicor. ab emendandi libidine H. Stephani aliorumque, Prolus. ib. 1767. 4. quae addita est edit. sec. quatuor diall. Plat. — 31) Numeri et particula Deuteronomii, e Cod. MS. Biblioth. Paulin. ib. 1768. 8. — 32) Platonis Cratylus et Theaetetus gr. c. animaduersfl. ib. 1770. 8. — 33) Platonis diall. quatt. ed. sec. ib. eod. a. 8. — 34) Selectae historiae ed. sec. ib. eod. a. 8. — 35) Palaephatus ed. sec. minor ib. eod. a. 8. — 36) Cornarii Eclogae in Platonis dialogos omnes etc. ib. 1771. 8. — 37) Prolus. IV. de nonnullis fabb. Palaephati locis ab a. 67—70. coniunctim editae c. orat. de Camerario ib. 1771. 8. 38) Palaephatus ed. tertia ib. 1771. 8. — 39) Prolus. IV. de verff. Gr. V. T. accedit Prolus. qua loci nonnulli verff. Grr. oracc. Malachiae illustrantur, coniunctim editae, ib. 1771. 8. — 40) Prolus. de Scientia linguae Graec. interioris interpretationis libror. N. T. adiumento maxime necessario ib. 1771. 4. — 41) Rhetores selecti, Demetrius Phalereus, Tiberius Rhetor, Anonymus Alexandrinus. Demetrium emendauit, reliquos e MSS. edidit, omnes notis illustravit Th. Galeus. Iterum edidit, varietat. lectionis Aldin. adiecit L. F. F. ib. 1773. 8. — 42) Prol. qua loci nonnulli N. T. illustrantur e verff. Grr. Malachiae ib. 1773. 4. — 43) Actuarii περὶ ἐνεγγειῶν καὶ παθῶν τοῦ φυσικοῦ πνεύματος, καὶ τῆς διάτης λόγος β', quor. alterum e Paris. exemplo Martini Iuuenis, alter e Cod. Monac. c. variet. lect. nunc primum in Germania edidit ib. 1773. 8. 44) Prolus. de verff. Grr. Malachiae linguae Gr. et Hebr. adiutribus et auctricibus ib. eod. a. 4. — 45) Platonis Sophista, Politic. et Parmenides c. animaduersfl. crit. ib. eod. a. 8. — 46) Prol. de chaldaicis Onquelosi Ionathaeque verff. V. T. etc. ib. 1774. 4.

- 47) Palaephati Vers. Latina, Velareo auctore, ib. eod. a. 8. —
 48) Platonis Philebus et Symposium c. not. crit. ib. 1775. 8. —
 49) Correxit Chrestomath. Cic. Gesneri et edidit ib. eod. a. 8. —
 50) Prol. I. de verf. libror. N. T. Vulgata, verae legitimaeque rationis hebraea in latinum conuertendi magistra ib. eod. a. 4. —
 51) Anacreontis carmina, ed. sec. ib. 1776. 8. — 52) Selectae historiae etc. edit. III. ib. 1777. 8. — 53) Palaephatus — ed. IV. ib. eod. a. 8. — 54) Oratiunculae octo de virtutibus et ornamentis Ernesti Pi, Saxoniae Principis, atque Viti Ludouici Seckendorffii, eius amici, in Schola Thomana recitatae ib. 1777. 8. — 55) Vorßii de Hebraismis N. T. Commentar. etc. ib. 1778. 8. — 56) Proluff. V. in quibus varii loci libror. divinor. vtriusque Testamenti, eorumque verff. vett. maxime Graec. illustrantur et emendantur; accessit Comment. in Hebr. IX. 3. ib. 1779. 8. — 57) Phil. Theod. Verpoortennii Diff. — coniunctim edendas curauit I. F. F. ib. 1779. 8. — 58) Welleri Grammatica Gr. ed. II. ib. 1780. 8. — 59) Selectae historiae etc. edit. IV. ib. 1780. 8. — 60) Chrestomath. Cic. Gesneri denuo edidit I. F. F. 1780. 8. — 61) Platonis dialogi IV. edit. III. ib. 1783. 8. — 62) Selectae historiae etc. ed. V. ib. 1784. 8. — 63) Palaephatus ed. V. min. ib. 1786. 8. — 64) Aeschinis dialogi III. rec. emend. explic. indicem copiosiss. adiecit ed. III. ib. eod. a. 8. — 65) Oratiunculae quinque, quibus disciplina scholarum antiqua cum noua aetatis nostrae confertur ib. eod. a. 8. — 66) Aeschinis Dialogi — ed. IV. Misniae 1788. 8. — 67) Palaephatus edit. VI. rec. emend. explic. accedunt proluff. IV. in Palaeph. etc. Lipſ. 1789. 8. — 68) Supplementorum Commentarii Ioh. Vorßii de Hebraismis N. T. Specimina III. Lipſ. 1790—92. 4. — 69) Proluff. de vitiis Lexic. N. T. XXXIII. ab a. 1772—1790. coniunctim editae ib. 1791. 8. — 70) Episiolae virorum doctorum quorundam ad Erdm. Rud. Fischerum Theol. Coburg. editae ib. 1791. 8. — 71) Platonis Cratylus, Gr. et Lat. annotationibus critt. et grammatt. illustratus Proluf. I—XIII. ib. 1792—93. 4. — 72) Leufdenii de dialectis N. T. singulatim de eius Hebraismis libellus — accessit Vorßii Commentar. de Adagiis N. T. Hebraicis ib. 1792. 8. — 73) Anacreontis carmina Gr. — suas animaduersſ. adiecit ed. III. ib. 1793. 8. — 74) Animaduerſ. ad Iac. Welleri Grammat. Gr. Spec. I. ib. 1798. 8. — 75) Specimen II. ib. 1799. 8. — 76) Interpretationis Lat. libelli Palaephati auctore Angelo Cospio Partic. I. Prol. ib. 1799. 4. — 77) Animaduerſ. ad Welleri Grammat. Gr. Spec. III. Pars Prior. ib. 1800. 8.

In Actis Eruditorum Lipsienſ. Fischerus recenſuit ab A. 1759—1763. a) Millii Miſcellanæ Sacra. — b) Hubiganti Biblia Hebraica.
 c) Ho-

- c) Homeri Opp. Vol. II. et III. ed. Ernestii — d) Demosthenis Oratt. T. II. ed. Taylor. — e) Saxii Orat. c. magistros VII. Artium. — f) Canegieteri Opusc. de mutata nominum RR. ratione sub Caesaribus. — g) Callimachi hymnos ed. Ernestii. — h) Herodotus Wesselingii.
-

I N

T V M V L V M

I O H A N N I S F R I D E R I C I
F I S C H E R I

P O P U L A R I S , P R A E C E P T O R I S , E T A M I C I
D E S I D E R A T I S S I M I

I O H . G E O R G I V S E C C I V S

P O E T I C S P R O F E S S O R .

Lipfiae, d. xi. Octbr. 1810 CCXCVI.

Caelo animam moriens, hic terrae condidit ossa,
Vir, decus aeternum, Lipfia docta, tuum,
Eximus cultor virtutis, candidus, aequus,
Exemplum rarae qui probitatis erat:
Vir, qui linguarum, Graecae, pariterque Latinae,
Mirandus summa cognitione fuit.


Ca 757

ULB Halle
005 369 037

3



B.I.G.



CHRISTIANI THEOPHILI KVINOEL

PROF. LIPS.

NARRATIO

D E

IOHANNE FRIDERICO
FISCHERO.

A D

V I R V M

MAGNIFICVM ET SVMME REVERENDVM

FRANCISCVM VOLKMARVM
REINHARDVM

1089/90 R 1482.
THEOL. DOCT. SER. SAXON. ELECT. CON-
CIONATOREM AVLICVM PRIMARIVM SVM-
MI SENATVS SACRI ET ECCLESIA-
STICI CONSILIARIVM.

1799



W. A. P. f. f. a. f.